

1592 *suffragaturum*. Itaque tandem, cunctis consentientibus, tertio kal. februarii, primo apertis suffragiis, deinde adoratione Hippolytum Aldobrandinum Pontificem creavere, Hetruscum genere, Romæ ortum, tertium ac quinquagesimum annum agentem, qui insueta felicitate sex annorum spatio e Rotæ Auditore Summus Pontifex est electus; a Xysto V. in Purpuratorum numerum relatus; ab eodemque, Stephano Battoreo, Poloniae Rege, defuncto, in Sarmatiam legatus. Clementis octavi nomine vocari voluit; quem cum Divino consilio, non humano ambitu præter omnium spem ad pontificatum perductum constaret, ejus prudentia atque ingenii dexteritate amplissimi ordinis pristinam libertatem excitatum, distracta christianæ reipublicæ membra connexum iri, cuncti sibi pollicebantur. Ad eum de more a Senatu, qui gratulationis munus obirent, oratores lecti, Marinus Grimanus, Leonardus Donatus, Equites ac Marcii Procuratores, Albertus Baduarius Eques, Zacharias Contarenus. Ante discessum, Baduario defuncto, Federicus Sanutus suffectus. Quo tempore cum Romæ Joannes Maurus, ordinarius legatus, excessisset, successor ei Paulus Paruta, qui tunc Brixiae præfecturam gerebat, est datus.

Clementis
VIII. Pont.
electio.

Legati
Veneti ad
Clementem
Pontif.

Paulus
Paruta
Mauro ora-
tori defun-
cto suffe-
ctus.

Uscorbo-
rum rapina
a Venetis
repressæ.

Turcarum
de novis ex-
peditionibus
consultatio-
nes.

Hoc anno majori conatu ad Uscochos reprimendos Patres animum adjecerant, tum quod vel arctis stipendiis coacti, vel prædæ aviditate illecti, Senia egressi maria propinqua excurrerent; tum quod gravissimis Turcarum querelis obviam eundem existimabant, qui in Adriaticum mare penetraturos, Seniam, primaque loca adorituros minarentur; cum præsertim Byzantio afferretur, exortas in subsignanda pace cum Persarum Rege controversias compositas, concordiam cum Sarmatiæ Rege sancitam. Quamobrem Amurathes, purpuratis, una cum Assane Cicala, classis præfecto, accersitis, in suis hortis de nova expeditione habenda consultaverat. Assanes vel Creticam vel Fessensem expeditionem proponebat. *Cretæ regnum immensis Amurathis viribus impar esse: Venetos pacis cupidos; arces neque milite, neque commeatu munitas: pleraque addebat, quæ ab infenso illius in Venetos animo potius profecta, quam veritati innixa, petulanti ostentatione jactabat: centum tantummodo ac quinquaginta triremibus, oppignurato in id capite, debellaturum.* Inde ad Fessensem expedi-